

67  
2-  
114  
**F. F.  
De  
BENEFICIO OR-  
DINIS FIDEJUS-  
SORUM,**

*Consensu*

Magnifici JCtorum Ordinis,

*In*  
Illustri ad Albim Academia,  
*PRÆSIDE*

**DN. JO. CASPARO Brendel/**  
Philof. & J. U. D.

In Auditorio JCtorum,

*Die 5. Nov. 1690.*

Publicè disputabit

*A. G. R.*

**ABRAHAM Gottlob Bogler/**

Dresd.



WITTEBERGÆ,  
Typis MARTINI SCHULTZII.

*Perquam Nobilissimo atque Doctissimo  
DOMINO,*

**DN. Graugott Diedrichen/**  
Serenissimi ac Potentissimi Electoris Sa-  
xon. Consilii Sanctioris, atque Archiv. Secre-  
tario Splendidissimo.

*Perquam Nobilissimo atque Doctissimo  
DOMINO,*

**DN. Christian Friedrich**  
**Griebelern/**  
Superioris Saxoniæ Circuli Secretario, nec  
non Serenissimi ac Potentissimi Electoris Saxoniæ Col-  
legii Intimi Registratori Splendi-  
disimo.

*Patronis suspiciendis atque Domino suo  
Affini honoratissimo,*

Disputationem hanc qualem cunque  
dat, dicat, dedicat

Observantisimus

Cliens

Abrahamus Gottlob Bogler.

I. N. 3.

**S**tudium Juris maximè præticum esse, nemo, nisi planè hospes sit in Jurisprudentia, inficiabitur. Consistit enim non in nuda speculatione, & futili meditatione; sed tota ejus perfectio finem & scopum dirigit ad praxin & usum. Idcirco ea, qvæ scitu necessaria sunt, & in vita civili, usq; forensi recepta, præ cœteris inculcari, tractariq; debent, monente JCto Paulo in l. 25. ff. de Liber. legat. Cùm hoc monitum, aliquando altius ponderarem, me abs re haud facturum judicavi, si qvædam de utilissima & in foro quotidiana, beneficii ordinis, fidejusso-ribus competentis, materia colligerem, & ad di- sputandum proponerem. Ingenii eqvidem im- becillitas facile à proposito me deterrere potuisset, nisi animum addidisset illud vulgare: In magnis & voluisse sat est; præsertim cùm id non ingenii o- stentandi ergo fecerim, sed eō potiū fine, ut Patro- nis meis specimen publicum, iisq; qvorum in- terest, rationes vitæ Academicæ qvodammodo ex-

A 2

hibe-

hibere. Qvod si ergo accuratè & limate minus non pauca fortè posita deprehendantur, B.L. inge-  
nio, qvod exiguum est, condonabit. Interim Dei auxilium humillimè imploro, velit hujus suscepti  
mei laboris non solum esse principium, sed etiam  
medium & terminus.

### §. I.

**F**ficium fidejussionis non tantùm iiii  
commodo, verùm etiam detimento esse, nota-  
ria edocet experientia; movit hoc dubio procul  
Imperatorem Sacratissimum, qvod tam saluber-  
rima fidejussoribus concederit beneficia, qvibus, adversus im-  
portunam creditorum exactionem, se tueri possunt. In  
præsenti non de omnibus ac singulis, sed de eo saltem, qvod  
præ cœteris eminet, nempe ordinis beneficio, disputationem  
conscríbere animus est. Ordinis dicitur hoc præsens bene-  
ficium; qvod creditor in conveniendo progredi debeat, ser-  
vato ordine. Jure eqvidem veteri in arbitrio erat positum,  
creditoris, vel ipsum debitorem principalem, vel fidejusso-  
rem convenire, l.5. l.16. l.21. 23. C. de Fidejuss. Ast jure novo pri-  
mùm conveniendus est debitor principalis; sin minus ordi-  
nis exceptione fidejussores adversus creditorem se tueri pos-  
sunt. Nov. 4. cap. 1. Avthent. præsente C. de Pignor. & Hypoth. Myn-  
sing. Cenz. 2. Obs. 15. Non freqventi magis usu ordinis titulo,  
qvàm excusionis à Dd. appellatur, ratione à scopo, qui re-  
spici solet, petita. Contendunt enim qui illo utuntur, ut  
principalis debitor priùs excutiatur, qvàm ad ipsos fiat pro-  
gressus.

### §. II.

Vocabulum fidejussoris, qvo Rubrica Disputationis  
meꝝ pariter constat, híc non specialiter accipio pro eo, qui,  
stipu-

stipulatione interpositâ, alienam obligationem in se suscipit, fideqve suâ esse jubet. l. 8. §. 2. l. 27. §. ult. ff. ad SCium Vellej; Sed generaliter, pro eo scilicet, qvi qvovis modo fidem suam pro alio interponit l. 30. §. 1 ff. de Pact. l. 4. ff. de condict. caus. dat. caus. non secut. Et ita sub se etiam comprehendit constitutorem, mandatorē aliosq; qvi tamē strictè loquendo variè discrepant. Et constitutor qvidē à fidejusso in eo, qvod constitutum fiat nudo pactō §. 9. Institut. de Act. Ast fidejusso fit sola stipulatione §. 1. Inst. de fidejusso l. 1. l. 8. §. 1. ff. eod. L. 1. § 7. ff. de O. & A. Constitutor autem, qvantum ad præsens negotium, is dicitur, qvi pro alio se soluturum constituit, atqve alterius in se suscipit obligationem, idqve nudo pactō, sine stipulationis solennitate. Alias etiam Constitutor propriam obligationem firmam esse jubet dict. §. 9. f. de Act. l. 5. §. 2. l. 13. ff. de Constit. pecun. Eckolt. ad ff. tit. de fidejusso §. 27. in fin. Multum qvoqve à Mandatore differt fidejussor. Aliter enim contrahitur fidejusso, aliter mandatum. Illa, ut modo dictum, stipulatione & verbis tantum, l. 12. C. de fidejusso l. 5. §. 2. ff. de V. O. Hoc verò solo consensu contrabitur l. 1. ff. Mand. Mandatum semper præcedit obligationem, nunqvām seqvitur. l. 12. §. 14. d. 1. Fidejussor & præcedere, & seqvi obligationem potest §. 3. f. de fidejusso l. 6. l. 8. §. 3. ff. eod. Accedit, qvod mandatum solo consensu contrahatur. pr. f. de Oblig. ex cons. nec refert, præsens sit, an absens qvis mandet, l. 22. C. de fidejussor. l. 32. ff. mandati. In fidejussoribus autem præsentia exigitur.

### §. III.

Missâ terminorum explicatione, potiùs est, ut hinc penitus expendatur ipsa beneficii natura, qvæ commodissimè apparebit, ex congrua ejusdem descriptione. Relatis verò aliorum, nimis generaliter conceptis definitionibus, beneficium Ordinis, ad fidejussores restrictum, hunc in modum cum Eckolio c. l. §. 25. describere placet. Nempe beneficium ordinis est exceptio à lege, bono fidejussorum introducta, ad creditoris contra illos institutam actionem, usque dum principalis debitor legitimè excussus, & non solvendo

repertus fuerit , differendam. Generis vice fungitur exce-  
ptio , notio beneficio nostro exactè conveniens ; siqvidem  
hoc beneficium non ipso jure tutos reddit , sed ut defendan-  
tur per exceptionem , ita tamen convenit , ut aliis qvoque  
competere non respuat ; Id qvod clarius est , qvam ut exem-  
plo demum illustrari debeat aut confirmari ratione . Differt  
hæc exceptio à peremtoriis , cùm actionem institutam non  
perimat , sed differt tantummodo .

§. IV.

*peremp*

Eqvidem *Vinnius ad §.10. Inst. de Except. n.92.* & plures alii DD. contendunt , ~~dilatoriam~~ esse hanc ordinis exceptionem , sed irritò planè conatu . Illam enim diversam prorsus à perempto- riis exceptionibus indolem habere ex descriptione satis cla- rescit , siqvidem litem non perimit , sed differt tantummodo usqve dum excussus fuerit principalis debitor , aut non solven- do repertus : Id qvod etiam satis indicant ipsæ pronunciandi formulæ , ita concipi solitæ : Daz Klägers Suchen noch zur Zeit nicht statt habe . Vel : Daz Beklagter außerhobene Kla- ge noch zur Zeit sich einzulassen nicht schuldig . *Carpz. p.1. c.3. d.17. num.10.* Neqve officit ratio , qvam *Vinnius c.l. in contrarium obvertit* , scilicet , hanc exceptionem ad classem peremptoria- rum ideo referendam esse , qvod actionem perimit in casu , quo debitor solvendo esse reperitur . Exceptio enim perem- ptoria non uno , vel altero casu , sed semper rem , de qua agitur , perimit , uti loquitur ipse Imperator in §. 9. f. de Except. Coler. in Tract. de Process. Exec. p.4.c.1.num.96. Fachin. lib.8. controv. Jur. c.52. Huic conseqvens est , debere exceptionem ordinis opponi ad instar aliarum dilatoriарum , ante litem contestatam l. pen. C. de Except. l.9. C. de Probat . Si tamen lite pendente debitor solven- do factus fuerit , tunc æqvum omnino videtur , ut Creditori et- iam post judicium cœptum opponatur , uti hoc pluribus o- stendit Zanger in Tract. de except. p. 2. cap. 16. & seqq. Add. qvo- que *Hahn. ad Weßenber. de fidejuss. n.6. Carpz. p.1. c.8 d. 23.* ubi & Re- sponsis suæ Facultatis hanc sententiam confirmat .

§. V. Di-

### §. V.

Dicitur deinde in definitione beneficium , seu Exceptionem ordinis introductam esse à lege; qvo ipso distinguitur à Prætoriis exceptionibus , qvæ substantiam suam capiunt ex ipsius Prætoris jurisdictione. Differt qvoque per hoc ab ejure , qvod qvis speciali pactione ad modum hujus beneficij acquisivit , puta , si qvis tempore contractus expressa conuentione sibi prospexit , ita , ut nolit ante excusionem debitoris principalis se efficaciter obstringere. Et hoc casu in conveniendo idem , qvem beneficium hoc exposcit , ordo servari qvidem debet ; Ast authoritate planè diversâ , scilicet , partis potius , qvam legis provisione accidente , l.s. C. de fidejuss. l.n6. ff. de V.O. Aliud refertidem in l.7. ff. de fidejuss. Longè verò aliter cum nostro comparatum est beneficio , qvo ille etiam juvatur , qvem juris ratio tenet devinctum arctissimè , id qvod inferiùs pluribus declarabo.

### §. VI.

Utut autem hoc præsens beneficium non ex Prætoris Jurisdictione substantiam ceperit ; inde tamen subtilitate , juris que apicibus id introductum , minus subtiliter infertur. Sanè æquitatis ratio svadet , ut prius eatur ad eum , qui solus ex contractu utilitatem sensit , quam ad fidejussorem , perinde , ut ex pluribus tutoribus prius convenitur , qui gesit & administravit tutelam. Nec dubium est , qvin eandem rationem secutus fit Justinianus , dum in nov. 4 cap. 1. constituit , ut non posset conveniri fidejussor ante reum principalem. Dubium hic movere qvis posset ex argumento *Gloss. Jur. Saxon. Landrecht lib. 3. Art. 39. v. s.* der nicht gelten mag / &c. propterea prius conveniendos esse fidejussores , qvod creditor , debitori fidei nolens , eorum fidem sit seqvutus , ideoqve etiam eos defide suā meritō prius convenit , qvam debitorem molestet . Accedit , qvod debito à fidejussore exacto , huic integrum fit , contra principalem experiri solutumqve repetere , vel aetione negotiorum gestorum , vel etiam mandati , l.6. §. 2. l. 20. §. 1. ff. mand.

*ff. mand.* Sed qvoad prius nego hanc consequentiam : Creditor debitori fidere nolens fidem seqvutus fidejussorum censetur, E. potest fidejussorem, non excusso debitore principali, convenire. Ad posterius dico: Interesse fidejussoris pecuniam retinere potius, qvam solutam à reo repetere. *l.15. pr. l.52.*  
*ff. de fidejuss. l.24. ff. de donat.* Melius qvoqve est intacta servare jura, qvam post vulneratam causam remedium qværere. *l. ult.*  
*C. In qvib. caus. restitut. in integr. non est nec.* Imò sæpe debitorum ingratitudo ac malitia, aut eorum etiam inopia actiones reddit inanes. *l.6. ff. de dol. mal.*

### §. VII.

His ita discussis, perpendendum, qvibus hoc ordinis beneficium competit. Hos in præsenti constituimus omnes, qvi alterius obligationi accedunt, eamqve suâ fide esse jubent, officio humanitatis vix sperantes inde aliquam sibi utilitatem, uti sunt fidejussores, mandatores & certa ratione constitutores. Datur proinde beneficium hoc fidejussoribus simpliciter pro aliquo fidejubentibus. *Avis. præsente C. de fidejuss.* Nec qvicquam interest, five primi sint, five secundi, vel ut alias vocantur Succedanei German. Nüchbürgen: cùm hi æqvè, ac illi fidejussoribus rectè connumerentur, &c. sicut efficaciter obligantur, ita etiam digni, ut nostro gaudeant beneficio. Et qvoniam fidejussor primus respectu succedanei loco erit principalis *l. 27. ff. de fidejuss.* ideo hic prius conveniri neqvit, qvam excussus fuerit non solum reus principalis, sed etiam primus fidejussor *arg. novell. 4. cap. i. in princ.* Et hoc beneficio ordinis etiam tunc gaudent fidejussores, cum Instrumento clausula inserta: alles treulich / sonder Gefahrde. Putat e-  
quidem *Wesenbecius p. i. Consil. 14. num. 17.* per illam clausulam beneficium excursionis penitus excludi: Sed veritate inspe-  
ctâ, contrarium verius est. Siqvidem istâ clausulâ adjectâ hoc saltem intendunt contrahëtes, ut omnis dolus abesse de-  
beat. At verò qvi jure suo utitur, nemini facit injuriam, eum-  
que in dolo versari dici neqvit. *l.151. ff. de R. f.* Et hanc senten-  
tiam in praxi etiam receptam esse testatur *Carpz. p.2.c.18. d.3.*

§. II X. Hoc

### §. II X.

Hoc ordinis beneficio etiam illi se tueri possunt, qui mediante jurisjurandi religione fidejusserunt. Cum enim omnne juramentum semper naturam actus, vel contractus, super quo interponitur, sequatur arg. l. ult. C. de non numer. pecun. Natura verò contractus ipsa lege munita privilegium excusationis fidejussori concescit; ideoque juramentum contrarium effectum parere nequit, ita, ut tollat hoc beneficium excusonis. Accedit, quod enixa agentium voluntas nulla alia sit, quam ut obligatio, quam fidejussor se obstrinxerat, esset firmior, stipulantique fides major de crediti securitate, quam tantum abest, ut violet nostra exceptio, ut potius illam corroboret; siquidem exceptionem ordinis allegans denuo tacite promittit, paratum se, excusso reo principali, ad solvendum esse, adeoque & hoc in casu fidei datæ satisfacit. Contrarium vult Carpz. p. 2. c. 17. d. 5. n. 6. Id quod tamen, quantum ad veritatem theoreticam attinet, non subsistit: utut forte in pronuncian do observetur. Ut ex præjudicio à Carpzovio d. l. adducto patet, & infra dicetur.

### §. IX.

Sed hoc acriter in disputationem vocatur, num fidejussor ille, qui aliquando se tanquam principalem constituit, als einen Selbstschuldner, beneficio excusationis gaudeat? Pro utraque sententia, tam affirmantium, quam negantium converunt Dd. rationes: Existimarem ego, affirmantium argumenta plus ponderis habere. Licet enim is, qui se ut principalem adstringit, proprio nomine sit obligatus, attamen pro fidejussore habendus, & stipulatori ita obligatus est, ut reus & quæ maneat obligatus. Gaudeat igitur hoc auxilio, & per verba, & mentem Imperatoris propensissimè adjuturi, eum maximè, qui humanitatis studio ductus, fidem alterius adeò benevolè sustinuit, ut se ipsum simul devincire non dubaret. Et sanè si eo in casu, ubi plures fidejussores sese singuli in solidum obligarunt, hæc obligatio ex jure communi eam in-

B

terpre-

terpretationem recipit, ut salvum sit beneficium divisionis.  
I.3. C. de fidejuss. nulla ratio est, cur non in hoc casu hæc fidejussorum obligatio ita interpretanda sit, ut salvum sit beneficium excussionis. Stranch. Exerc. 14. 1. b. 17.

### §. X.

Urgentibus: Neminem posse esse simul principalem, debitorem & fidejussorem; Qui igitur se ut principalem debitorem constituit, huic Ordinis beneficio renunciasse censetur. Respondeo, hæc verba: Ich sehe mich zum Selbstschuldnern ein/non alterant, nec transformant, aut convertunt contractum in aliud negotium; (quia ejusmodi fidejussor creditor, reo adhuc obstricto manente, obligatur adeoque qualitates rei principalis non induit) sed ostendunt fidejussoris animum enixum servandi fidem & solvendi pro reo, ut ita securus sit, creditor, tanquam si ipse fidejussor ex contractu principaliter obligatus esset; ut tamen nihil impedit, salvum manere ordinem juris à Justiniano introductum. Dn. Struv. Ex 47. th 43. Eckolt ad ff. tit. de fidejuss. §. 27. & hanc sententiam Sereniss. Elect. approbavit. p. 2. const. 18. ad quam videri potest Carpz. d. 2.

### §. XI.

Illud eqvidem non nego, contrariam sententiam non-nunquam ex verbis contrahentium colligi posse, ut puta, si ita conventum fuerit: Daz man ohn einiges Beding auf Ihn/ und nicht auf dem Haupt-Schuldner sehen solte. Vid. Brunnem. ad Anh. præsente C. de fidejuss. Hahn ad Wesenb. tit. de fidejuss. num. 4. ad verba: *aut excusis.* Et hæc contraria intentio perspicuè constat in expromissore, qui videlicet proprio nomine, vel novandi animo, & non in eventum dilata, vel non facta solutionis per principalem se obligat pro alieno debito, ita scilicet, ut obligatio primi debitoris prorsus extingvatur, atque tota in expromissorem transeat. I. ult. C. de Novat. quo casu hic frustra implorabit excussionis auxilium; cum interveniente novatione primum debitorem ab obligatione liberet expromissor, inque illius locum substituatur, adeoque principalis debitoris,

bitoris, qui nullus supereft, excusionem objicere nequeſt.  
Hering Traſtat. de fidejuff. cap. 27. n. 250. Gail. lib. 2. Obs. 28. num. 4.  
Sciendum tamen, hoc nominatim agi oportere, atque dissentis  
verbis exprimendam esse novationem. l. ult. C. de Novat. §. 3. 3.  
Quib. mod. oblig. toll. Neque enim hodie, niſi expressa fuerit, in  
dubio facta preſumitur novatio. d. l. fin. Carpz. p. 2. c. 14. §. 16.  
§ lib. 5. Resp. 105.

### §. XII.

Fidejufforibus affines ſunt mandatores, qvorum autho-  
ritate, vel mandato contrahitur obligatio, & ipsorum fide pe-  
cunia creditur. l. 12. §. 14. ff. Mandat. Sicuti igitur fidejuffori-  
bus, ita etiam mandatoribus beneficium excusionis prodeſt,  
per novell. 4. c. 1. Wesenb. tit. de fidejuff. n. 2. Mandantibus autem  
non omnibus indifferenter, ſed illis duntaxat, qui aliorum  
rebus ſtudent, hoc ordinis beneficium concesum, qvod non  
ſolum ex beneficii hujus natura, ſed etiam ex verbis dict. No-  
vell. 4. colligimus, ubi expreſſe intercessorum meminit Imper-  
ator. Unde beneficio noſtro tutus minimè videtur, qui ſua  
cauſa mandaverit, juxta exempla in §. 1. 3. Mandat. Qvia talis-  
modi mandantes, ſi recte attendimus, non intercessoris offi-  
cio funguntur, ſed re verà rem ſuam agunt, & locum tenent  
principalis; jam principaliter obligato nunquam proderit  
ordinis exceptio. Igitur neq; hoc gaudebit beneficio qui man-  
dat tertio, ut pecuniam ſub uſuris crederet illi, qui in rem ſuam  
mutuaturus eſt, hic enim non alienam, ſed ſuam in ſe uſcepit  
obligationem. arg. l. 13. ff. ad SCtum Vellej. Ideoq; etiam primū  
ad ipsum venire creditor debet, ut Imperator loquitur, in dict.  
Nov. 4. c. 1.

### §. XIII.

Mandatores excipiunt conſtitutores, i. e. illi, qui, qvan-  
tum ad præſens negotium, pro alio ſe ſoluturum conſtituunt,  
atque alterius in ſe uſcipiunt obligationem, idque nudo pa-  
to, ſine stipulationis ſolennitate. l. 26. ff. de conſtit. pecun. Utrum  
verò ita conſtituentibus proditum fit Ordinis beneficium.

B 2

non

non adeo expeditum opinatur *Carpz.* p. 2. c. 18. d. 2. n. 5. eo, quod proprio nomine obligati sint, adeoque ut principales teneri videantur. *Gail. lib. 2. Obs. 28. princ.* Verum cum et que ac fidejussores humanitatis officiis operam navent, gerendoque proximi negotia, ipsius, citra spem lucri, commoda augeant, haud est, quod miremur, ratione pares, pari quoque jure dignos esse judicatos. Et hanc quoque mentem esse ipsius Imperatoris, satis constat ex *Nov. 4.* plus simplici vice allegata, ubi singulis debitorum intercessoribus hoc ordinis beneficium concedit, jussitque primum venire ad eum, qui aurum accepit, debitumque contraxit. Atque vero & Constitutores (qui hic quidem considerantur) horum numero contineri, nemo negabit. *arg. l. 2. § 5. ff. ad Sct. Vellej.* Eo, quod alterius obligationem constituendo firmam esse jubent, inquit se suscipiunt, non propriam: Nec ipsi accipiunt aurum, aut debitum contrahunt, adeoque ad eos primum creditores venire non poterunt. *Nov. 4.* Et secundum hanc sententiam responderunt Scabini Lipsiens. teste *Carpz.* P. 2. c. 18. d. 2. his verbis: Ob Ihr wohl gegen einem/von welchein eure Frage meldet/euch verpflichtet/und eines andern Schuld ex constituto auf euch genommen / da aber dennoch derselbe zu zahlen hätte/und mit ausdrückl. Worten zwischen euch keine Novation getroffen/noch vorige Obligation aufgehoben worden wäre &c. So möchtet Ihr/ ehe und bevor der Principal debtor excutiret; beständiger Weise nicht belanget werden/sondern Ihr hättest euch mit dem beneficio excursionis wohl zu behelfsen/*V. N. W.*

#### §. XIV.

Excusionis beneficium aliquando inter ipsos etiam confidejussores locum invenit. E.g. si quis creditori duos dedit fidejussores, deinde volens recedere alteri illorum pecuniam tradidit, vel post discessum misit illam. Hoc casu primum ex fidejusoribus conveniendus est, qui pecuniam accepit, & creditori id non facienti meritò excursionis beneficium objicitur: Idque multò magis fieri, cum omni Legum auxilio, propter quolibet modo facienti, in Instrumento fidejussionis non renun-

renunciaverit. Vid. Hering *Tract. de fidejuss.* cap. 27. n. 160 seqq. Et quanquam duo, vel plures fidejussores correi sint debendi, in quibus excusionis beneficium regulariter locum non habet, Art. Hoc ita si pactum C. de duobus reis stip. quia omnium reorum debendi obligatio principalis, unaque eorum & par causa est l. 2. § 3. §. ult. ff. de duob. reis constit. Ut autem ordinis exceptio locum obtineat, unam esse oporteat principalem, & alteram accessoriā personam. Nov. 4. c. 1. Id tamen in praesenti non urget, quia fidejussores à debitore pecuniam accipiens vicem subit debitoris principalis, alter vero, qui pecuniam non accepit, fidejussores manet, unde creditorem agentem exceptione ordinis repellere potest, ut primo loco alter excutiatur. arg. l. 65. § 14. ff. pro Soc. Hoc assertum stabilitur responso Facultatis Lips. quod C. p. 2. c. 18. d. 10. his verbis allegat: Seyd Ihr nebenst N. N. 100. Gülden schuldig worden / deswegen Ihr euch als correi gegen den Gläubiger verpflichtet / welcher aniso die Zahlung sucht. Ob nun wohl das beneficium excusionis den Correis debendi nicht zu statten kommt; Da aber dennoch gedachter N. N. berührtes Geld ganz alleine zu sich genommen / und damit gebahret hätte &c. So vermöchtet Ihr ehe und bevor derselbe gebührlich excutiret / die Zahlung für eure Person zu thun nicht anz gehalten werden/ B. N. W.

## §. XV.

Fidejussoribus quoque indemnitas, Germanis, Schadloß bürgen / ordinis beneficium competere Dd. communiter tradunt, tūm propter generalitatem Nov. 4. cap. 1. tūm, quod & hi propriè sint fidejussores, & in jure nostro hoc nomine salutentur l. 57. princ. ff. de fidejuss. l. 7. ff. de fidejuss. tutor. & nominat. l. 6. ff. de novat. Id quod à nonnullis ita ampliatur, ut indemnitas fidejussoribus etiam eo in casu ordinis exceptio concedatur, quo omnibus fidejusorum beneficiis, ac legum auxiliis renunciaverint, attestante Hering. in cit. Tract. c. 27. n. 143. Sed veritate inspecta, talismodi fidejussores ex natura magis obligationis, quam legis concessione sese defendunt. Siqvidem prius constare debet, quantum à principali conseqvi possit credi-

creditor, qvam effectum sortiatur indemnitatis promissio; Cùm sub hac conditione se se obligent indemnitatis fidejussores, qvod velint præstare, & exsolvere qvanto minus creditor à debitore conseqvi posse l.63 ff. de fidejuss. l.ult. ff. de reb. credit. Sive nunc ante, sive post conditionis eventum, aduersus fidejussores experiatur creditor, ordinis beneficium utrobiq; non obtinet. Et pendente qvidem conditione, obligatus cum effectu non est fidejussor, & conseqenter deficit adversus eum actio. l.116. ff. de V.O. At verò, nulla actione competente, cessat qvoq; exceptio, qvippe qvæ propriè sic dicta est actionis jure competentis exclusio. l.2. pr. ff. de Excep. Unde ipso jure, tui sunt indemnitatis fidejussores, ante principalem in judicium vocati, non ordinis exceptione, sed hac generali allegatione: Tibi adversus me non competit actio. Multò magis beneficium nostrum cessabit, si adimpta conditione, fidejussorem conveniat creditor: Præterqvam enim, qvod expressam de satisfaciendo promissionem replicare posse creditor; etiam ipsius ordinis beneficij natura id non permittit, cùm id nunquam obtineat, si reus solvendo esse desiit, qvemadmodum in conditionis hujus eventu defuisse præsumitur.

## §. XVI.

Hactenus de beneficij Ordinis Subjecto activo, seu de personis, qvæ illo gaudent; Jam paucis agendum erit de illis, qvæ ordinis exceptione removentur, qvibusque illa opponi possit. Huc omnes pertinent, qvi actione contra fidejussores experiri possunt. Dico: Experiri possunt: Etenim locum non habet hoc præsens beneficium, nisi Creditori aduersus intercessorem reverâ competit actio. Ecur enim agere, cùm, ne posset qvidem, creditori interdiceretur? Ipso jure, qvod dicunt, tui intercessores forent, nec opus isthoc haberent auxiliô, si juri agendi deficeret. Nihil autem, quantum ad creditores, refert, publici an privati, privilegio alias muniti, nec ne, illi fuerint. Ita, v. g. fidejussores, pro pupillorum debitoribus qvi intervenerunt, beneficio gaudent ordinis *Auth. præf. C. de fidejuss. l.6. ff. de fidejuss. tutor. Novell. 4. 6. 1. vid. Dn. Struv. in S.J.C.*

S. J. C. Exer. 31. th. 79. Brunnem. ad l. 1. C. de fidejuss. tutor. Idem dicendum esse puto, si quis pro debitore Fisci fidejubendo intervenierit; hujusmodi enim fidejussor itidem non prius conveniri potest, quam exculo debitore principali; quamvis enim, fisco jure antiquo privilegium competuisse, nonnulli existiment, per l. 1. C. de conven. fisci debtor. & l. 47. ff. de Jure fisci; Deinceps tamen Justinianus in Novell. 4. c. 3. generaliter statuit, ut ante fidejussorem excutiatur prius debitor principalis ejusque heredes.

### §. XVII.

Expedita personarum tractatione, materia objectiva, seu obligatio, cui accedunt fidejussores, cujusque occasione beneficio nostro fruuntur, consideranda venit. Omni posse obligationi fidejussores regulariter accedere, sicut juris est manifesti §. 1. J. de fidejuss. l. 1. & l. 8. §. 6. ff. eod. Sic etiam ubique obtinere ordinis beneficium, affirmare nullus dubito; ita modo comparata sit obligatio, ut actio inde in principalem debitorem competit. Nov. 4. c. 3. §. 1. Huic conseqvens est, beneficium nostrum illis denegari, qui pro naturaliter tantum obligatis fidejussent. l. 25. ff. de fidejuss. Coler. de Proc. Exec. p. 1. c. 19. n. 404. Schneidev. ad §. 4. J. de fidejuss. n. 8. Carpz. P. 2. c. 19. D. 8. Idem procedere existimat Vinnius ad dict. §. 4. I. de fidej. n. 4. de fidejussore judicio fisti, & judicatum solvi dato, quod ejusmodi stipulationes eo interponantur animo, quo judicatum ratum fit, & effectum sortiatur. Sed crediderim, hoc Vinnii assertum ita absolutè admittendum non esse: quid si enim praesens sit debitor principalis, sanè nihil impediet quo minus suo jure & beneficio uti possit fidejussor; neque eò statim effectu destituitur judicatum, cum id illico dari executioni possit.

### §. XIX.

Quid verò si illi accesserit obligationi fidejussor, quæ à debitore principali exceptione removeri potest perpetua? Resp. hoc modo, ut ordinem servet creditor frustra desiderat debitor, cum in effectu coincident, nullam planè habere actionem, & talem, quæ exceptione perpetua enervetur l. 116. ff.

de R. J.



*de R. f. Confirmatur idem ex l. 10. & l. 55. ff. de V. S.* Sed qvām beneficii nostri copia talismodi fidejussoribus subtrahatur, consultur tamen iis aliis remediis, scilicet reo principali competentibus, qvibus creditorum molestias declinare valent l. 7. §. 1. ff. *de Except.* Cœterū Ordinis beneficium illis minimè denegandum, qvi pro eâ obligatione intercesserunt, qvæ dilatoriâ duntaxat removeri potest exceptione. Huc pertinet e.g. si reus principalis privilegio gaudeat competentiæ, qvod vocant; creditorem autē ab hoc suum conseqvi posse, vel eorum etiam, qvi bonis cesserunt, ostendunt exempla, qvippe qvi haud raro ad pingviorem fortunam venientes creditoribus solidum solvere possunt. Executiendus igitur & hīc debitor venit: & si solidum præstare nequeat, faciat qvod potest. Neqve enim credendum, ordinis beneficium adeo restrictum esse, ut tunc demum fidejussoribus competit, si locuples reus existat & solvendo sit, h.e. si solidum solvere possit. *l. 114. l. 234. ff. de V. S.* Sed illud potius firmiter tenendum, qvod Imperator in Nov. 4. c. 1. absolute prohibuerit, fidejussores ante reum principalem convenire, sive creditor suum in totum, ~~ve~~ etiam in partem conseqvi à debitore valuerit.

### §. XIX.

Materiam beneficii Ordinis excipit forma, qvæ vel accidentalis vel essentialis. Illa in modo, qvo in judicio proponi debet, maximè conspicitur, de qvo supra in §. 3 & 4. Hæc verò consistit in vi ac potestate actionem creditori ipso jure competentem excludendi, donec reum principalem excusserit: siqvidem actionis dilationem velut proprium sibi effatum operatur ordinis exceptio, & eosqve actionem excludit, donec ordinem juris præscriptum actor observaverit: Id qvod tanqyam finem præsenti exceptione reus intendit, scilicet, ut qvi principaliter obstrictus creditori est, prius qvoque onus excursionis sentiat. Cogitur proinde actor efficaciter contra fidejussorem experiri volens primùm debitorem principalem convenire, ejusqve bona excutere, ut constet, num plane exinde, aut in qvantum satis sibi fieri queat. *l. 42. ff. mandati.*

### §. XX.

## §. XX.

Sed illa excusio bona debitoris supponit, quæ excuti possint, & facilis ille sit ad conveniendum l. 2. & l. 7 ff. qui satisd. cog. Unde ante omnia discutiendæ sunt facultates præsentis, & quatenus hic non reperitur solvendo, eatenus demum fidejussores tenentur. *Auth. præsente C. de fidejuss Nov. 4. c. 1.* Qvoad res, quas inseqvitur excusio, nihil interest, utrum corporales sint, eæque vel mobiles, vel immobiles, an verò incorporales. l. 15. ff. de Jur. Fisc. Et si debitor excusus in parato qvidem nihil, debitores tamen sibi obæratos habeat, tunc si statim hi conveniri possint, fidejussoribus parcendum esse crediderim; sin minus, aut in diem, vel sub conditione constituti, nullum est dubium, quin ad fidejussores principali debitore, tempore solutionis minus solvendo existente, pervenire liceat. Cœterum adeo rigorosa est excusio, ut usqve ad peram fieri possit, imò etiam usqve ad indumenta, non relictâ debitoribus, nisi unica veste, quâ corpustegant l. 1. C. quibon. ced. poss. Richt. Decis. 24. n. 1. Carpz. P. 1. c. 32. D. 15. & P. 2. C. 18. D. 5. Nisi privilegium personæ, vel rerum debitoris aliquia bona specialiter eximat. Hûc referri possunt quibus privilegium competentiæ est concessum, cuius rei exemplum habemus in Parentibus & liberis, si à se invicem convenientur; Et parentibus qvidem debetur hoc beneficium, partim quod liberi illis reverentiam debeant. l. 6. ff. de injus voc. partim quod almonia parentibus egentibus à liberis sunt suppeditandæ. l. 5. §. 13. ff. de agnosc. & a-lend. liberis. Ob eandem quoqve rationem, liberis istud indulgetur beneficium, quia hos parentes itidem alere tenentur. Ita verò in bonis parentum & liberorum, aliisqvè, illo beneficio qui gaudent, fieri debet excusio, ut eorum ratio habeatur, ne egeant l. 173. ff. de R. J. Sed modus ac quantitas debitoribus relinqvendi ne egeant, certis regulis definiri haud potest. Unde judicii incumbit rei judicatae tempore (hoc enim spectatur quatenus quis facere potest l. 15. pr. ff. solut. matr. &c.) singulas circumstantias accuratè expendere, & prout omnia reperit, alimenta, & quantum debitori relinqvi debeat, determinare. Coler. de Process. Exec. P. 2. cap. 3. n. 120.

C

§. XXI. Ex-

## §. XXI.

Excusso porro non solum adversus ipsum principalem, dirigitur, verum etiam mortui debitoris heredes excuti possunt l. 47. ff. de *Jur. Fisc.*, in tantum, ut ab excusione non sint immunes, licet se impuberis esse probent: Siqvidem durante etiam aetate pupillari, cum pupillis ita agi posse, ut actio contra tutorem instituatur, juris est manifesti per l. 4. C. de *hered.* Aet. l. 8. C. mandat. l. 8. in fin. C. de non numer. pecun. Neque ratio deficit: præterquam enim quod haeres ejusdem juris sit, cuius defunctus l. 59. ff. de *R. J.* Etiam ex persona debitoris nullam mutationem recipit creditoris conditio l. 2. ff. de *V. O.* Hoc assertum limitat *Mynsing. cent. 2. obs. 15. in fin.* idque non procedere asserit, si in mora constitutus debitor decesserit, tunc enim adversus heredem non competere, sed statim ad fidejussorem perveniendum existimat. illud de haeredum excusione addendum, quod post aditam haereditatem, non conficitur inventario, ultra vires quoque haereditatis, de jure civili tenentur §. 5. J. de *hered. qual. & different.* l. 3. & seqq. C. de *repud. vel abst. hered.* l. ult. §. 13. C. de *jure deliber.* Nemo enim potest mutare consilium cum alterius iactura. l. 75. ff. de *R. J.* & quasi contrahit haeres adeundo haereditatem cum creditoribus haereditariis §. 5. J. de *oblig. que & quas. ex contr.* At non licet resilire a contractu perfecto, altera parte invitata l. 5. C. de *O.* & A. Secus vero est in foro Saxonico, ubi omessa licet inventarii confirmatione, haeres tamen, si juratam haereditatis designationem exhibeat, ultra non tenetur. vid. *Const. Elect. 33. P. 3.*

## §. XXII.

De eo non omnium consonans est sententia, num fiducijs oris debitoris, cuius bona per fiscum occupata, beneficium excusionis competit? mihi affirmativa placet: quia fiscus, ad instar haereditatis, prestare & subire onera tenetur illius, cui succedit. l. 3. §. 4. ff. de *jur. fisc.* Unde nil mirum, si & beneficio excusionis tueantur fidejussores, ac creditores pro exactione debiti ad fiscum remittant. Vid. *Gail. lib. 2. obs. 86. n. 6. Menoch. de Arbitr. Judi. quest. cas. 137. n. 3. seqq.* Ratio rationis est, quod

quod quotiescumque fiscus agit de lucro captando, aut poena exigenda ab eo, qui crimen commisisse dicitur, cuiusque patrimonium ob id fisco delatum est, contra fiscum in dubio pronunciandum, neque is in præjudicium creditorum est privilegiatus. *Gail. c.1.* Et quanquam privilegia fisci sint permulta, nec contra fiscum, quod non est expressè sancitum, superstitiosè præsumendum. *Mascard. de Probat. concl. 806. num. 8.* Attamen fiscus non, nisi in casibus expressis, est privilegiatus, in non expressis uti jure communi debet. *l. ult. C. de Usur. fiscal. Gail. lib. 1. obs. 90. n. 2.*

### §. XXIII.

Sed quid si contingat, debitorem nullis hæredibus relictis, decedere? Contra hæreditatem jacentem excusionis beneficium competere existimo; quia hæreditas jacens, seu nondum adita vice personæ fungitur. *§. 2. 3. de hæred. instituend. l. 22 ff. de fidejuss. Vid. Gail. lib. 2. obs. 27. n. 12.* Urgentibus hæreditatem jacentem in nullius esse bonis, nec possideri, *l. 1. ff. de Rer. divis. l. 1. §. 15. ff. si is, qui testam, liber esse §. 9. l. 6. §. ult. ff. rerum amotar.* Respondeo, quod hoc in casu constitui curator bonorum debeat, vel ex consensu majoris partis creditorum, vel etiam auctoritate Magistratus, quo constituto, expedienda est excusio *l. 2. pr. § l. 4. ff. de curat. boncr. dand.* Ceterum debitores principali, ejusque hæredibus ritè excussis, pervenire demum possunt ad fidejussores; Quod si excusio plenè atque legitime facta non fuerit, ex sententia *Gail. lib. 2. obs. 27. n. 10.* iteratò fieri debet. Quomodo verò, in qua materia, quibusve auxiliis, aut quo tempore perfici excusionis actus posfit, prolixè quidem hic tradi posset, sed instituti ratio id non permittit.

### §. XXIV.

Supereft ut casus enumerentur, quibus ordinis beneficium inefficax est; non enim ubique vires suas id exerit, sed non pauci prostant casus, quibus locum non invenit. Et cessat primum ipsius debitoris causa, puta, si ex hujus persona, agenti creditorì exceptio peremptoria obstat. Huc pertinet, si ex intercessione à muliere contra SCtum facta, agat adversus



fidejūssorem illius creditor, cūm enim hic jure efficaciter a-  
gendi destituatur, idcirco ut de ordine fidejūssor excipiat, nec  
ratio permittit, nec ipsius utilitas patitur; sed multò felicius  
progreditur, si, qviescente ordinis exceptione, actoris insul-  
tus jure debitricis elidat. *l.ii.C.de Except.* Confer. qvæ supra dixi  
in §. 19. Simili modo contra pupillum, sine tutoris autoritate ob-  
ligatum, non datur āctio, sed si eidem accedat fidejūssor, tunc,  
si conveniatur a creditore, cessabit qvidem ordinis exceptio,  
interim verò ab hujus exactione non liberatur, sed, principalē  
nondum excusso, tanqvām ipse obligatus esset, cum effectu  
convenitur: sibi enim, suæque facilitati imputare necesse ha-  
bet fidejūssor, qvod ejusmodi obligationibus accesserit, qvas  
jure civili non subsistere, novit, aut nosse tamen debuisset. Et  
qvamvis pupilli (modo sint pubertati proximi) sine tutoris au-  
thoritate reverà naturaliter obligentur; huic tamen obligatio-  
ni, cum ex debiliōri judicio veniat, ob favorem ætatis pupilla-  
ris, ne damnum incurrat, ratione ipsorum impuberum, nulli  
jure civili tribuuntur effectus: Non qvod nulla verè hīc sub-  
sist obligatio, sed qvod personis pupillorum hoc tributum, ne  
obligatio ei noceat. *l.59. ff. de O. & A. l.41. l.29. ff. de condic. indeb.*  
Ratione verò aliorum hæc obligatio naturalis suos producit  
effectus. *l.127. ff. de V. O. l.1. ff. de novat. l.95. §. 4. ff. de solut.*

## §. XXV.

Ex persona debitoris cessat qvoque ordinis beneficium, si  
hic tempore solutioni destinato absens sit, *Nov. 4. c. 1. & 2. Anib.*  
*præsente C. de fidejūss.* Neqve refert, qva ex causa abfuerit reus  
principalis, justa ea sit, nec ne, voluntaria an necessaria, qvia  
utrinque debitorem convenire, suumque servare creditor im-  
peditur: At verò receptissima *Dd.* sententia, absentem hīc a  
conveniendi qualitate definiendum, ut nimirum ille sit ac di-  
catur absens, qvi in longinquis versatur regionibus, ita, ut sine  
magna difficultate conveniri nequeat. *Hering. Tract. de fidejūss.*  
*P. 1. cap. 27. n. 262. Carpz. P. 2. c. 18. D. 11.* Eaq; sententia & menti  
sapientia citatæ *Novell. 4. c. 1. vers. acerbum*, congruit, & æqvitati qvo-  
que convenientissima videtur. Qvis enim fidejūssorum non  
eru-

erubescat tantum onus; tantumque incommodum offerre  
creditori, ut è longinquo petat, qvod via faciliori & sine diffi-  
cilitate conseqvi valet? Sed, utut quidem jure hoc in casu fide-  
jussor conveniatur, judex tamen tempus ei desideranti defi-  
nire debet, intra qvod producat reum primò conveniendum,  
ipsò in subsidium reservando: qvod tempus arbitrio judicis  
relinquitur, qvi, consideratà personarum qualitate, & loci di-  
stantia, sufficiens ad eundum & redeundum definit: Nov. 4.  
c.1. Authent. præsente C. de fidejuss. Carpz. P.2. C.18. D.11.

### §. XXVI.

Ex parte debitoris itidem beneficii nostri usus denega-  
bitur, si præsens quidem, interim tamen de fuga suspectus sit,  
aut latitet. Cum enim nec hoc casu sine acerbitate suum  
conseqvi valeat creditor, iniqum esset eum beneficio ordi-  
nis impediri, qvo minus statim contra fidejussorem experia-  
tur arg. l.7 ff quib. ex caus. in possession eat. Add. Harpprechiat S.4.  
J. de fidejuss. n.50. Ex eadem ratione denegatur hæc ordinis  
Exceptio, si, qvi principaliter debent, potentes sint, aut rixosi  
qviq; absq; litigio liquidissima etiam debita solvere recusant:  
Item si debitor bona extra jus dicentis territorium, in aliis locis  
admodum longe remotis & dissitis habeat, ut non tam faci-  
lè excuti possint, qvam fidejussor conveniri, Nov. 4 c.1. §. si ve-  
ro intercessor; qvoniam nec hoc in casu absqve difficultate, &  
magno incommodo suum servabit creditor. Jam paria sunt,  
excusum esse, & excuti non posse, vel difficulter posse. Et se-  
cundum hanc sententiam responderunt Scabini Lipsienses,  
teste Carpzovio, c.1. D.14. hoc modo: Ob nun wohl der Bürge  
das beneficium excursionis fürzuschützen gemeinet/fürgebende/  
dass der debitor noch anderswo Geld zu fordern habe / dieweil a-  
ber dennoch selbige Forderung unter andere Herrschafft anhän-  
gig und ohne sonderbahre und schwere Mühe nicht einzubringen  
&c. So hat sich annoch bemeldter Bürge mit dem beneficio  
excursionis nicht zu behelffen, B. N. W. Wesenbec. P.1. Consil.  
X. num.38.

## §. XXVII.

Ordinis exceptio multò magis frustra objicitur à fidejussoribus, si notorium sit, aut in continenti probari possit, principalem non solvendo esse. Nam quid juvat excussionem querere bonorum, quæ constat non sufficere, nec quicquam hoc fieri fidejussorum interest: siquidem excusso ad eum finem suscipitur, ut res reducatur ad liquidum, & appareat an debitor satisfacere posset. Et de eo quidem certò constare debet, utrum suum creditor non valuerit recipere, neque ex parte, neque in solidum, Nov. 4. c. 1. Id quod sanè prius sciri negavit, quām præcesserit excusso. Sed declinabit illam creditor, si notoria sit debitoris principalis inopia. Nam si hæc ab initio constet, res finem suum jam adepta est, ut mediis locus esse non debeat. arg. §. 4. 3. de suspect. tutor. Imo hoc in casu excussionem petens fidejussor à calumnia vix immunis esse intelligitur; quod impetratum nihil eum juvaret, creditori verò noceret. Sed ita calumniosè potentibus denegandum est hoc beneficium, quia jura non permittunt, aliquem sine suo commodo alteri damnum inferre. l. 38. ff. de R. V. Qvomodo verò notorietas, principalem non esse solvendo, probetur, post alios à se relatós latè, abundeque exponit Hering. in Tract. de fidejuss. n. 200. & seqq. scilicet probari illa potest, vel famâ vicinorum, quibus facultatum debitoris inopia, quodque omnibus bonis sit exutus, non est ignota, vel etiam si debtor judici suum iuridicò contestatus fuerit; vel denique, si bonis cesserit debtor, quia tunc constat, eum solvendo non esse; modo tamen cessione bonorum legitimè, nec in fraudem creditorum facta fuerit l. 6. ff. de dolo malo. Hisce modis probandi debitoris inopiam connumerari etiam solet, si semel ille excusus per judicem competentem, repertus fuit non solvendo vid. Coler. de Proc. Exec. P. 1. c. 10. n. 387.

## §. XXVIII.

Non solum autem ex causa debitoris principalis, sed etiam ipsius fidejussoris & debitoris minus principalis ordinis exceptio cessat. Sic v. g. fidejussori dolosè fidejussionem neganti,

ganti, si deinceps mendacii convincatur, ordinis beneficium non conceditur; quia leges mendacia severè prohibent, mendacesque odio habent l. 11. §. 3. ff. de interrogat. in jure faciend. l. 43. l. 33. ff. de furt. l. ult. C. de accus. Insuper etiam juris est indubitati, neminem debere commodum sentire ex eo, quod natus est impugnare; siquidem frustra leges implorat, qui in legem committit l. 8. §. 14. ff. de inoff. testam. l. 5. §. ult ff. de his, quibus ut indign. Et licet mendaciis regulariter nulla certa pœna in jure prescripta inveniatur; nihilominus tamen haud paucis in casibus leges nostræ inficiationem coercent, vel beneficium auferendo, vel pœnam infligendo. Quo referri possunt omnes illi casus, quibus inficiando lis crescit, exemplum habemus in deposito miserabili, item in damno contra L. Aquilium dato. Utrobius enim inficiantes restitutione dupli coercentur, l. 1. §. 1. & 4. ff. depos. §. 7. f. de obligat. quæ quasi ex contractu. l. 23. §. 10. ff. ad L. Aquil. Dixi autem notanter, dolosè fidejussionem neganti ordinis beneficium denegari: Nam errore, aut ignorantia negans isto beneficio uti non prohibetur; alias enim justa ignorantia damnosa esset fidejussori, quod jure invito fieret. §. 10. f. de mandat. Idem afferendum putat Carpz. P. 2. C. 18. D. 6. de eo, qui animo dubio, incertaq; mente oblivionem allegando, negat fidejussionem: Nam & hunc extra dolum constitui, nemo facilè inficiabitur.

### §. XXIX.

Ex parte fidejussoris porro inutile redditur ordinis beneficium, quando eidem renunciavit; id quod etiam jure facere potest, unicuique enim integrum est, his, quæ ipsi à lege data & concessa sunt, renunciare. l. penult. C. de Pact. Nov. 136. c. 1. Sed in discussionem hic venit, utrum renunciatio generalis sufficiat, an verò specialis requiratur? Mira sàne est interprétum dissensio, atque renunciationis generalis magnus est favor, ita, ut quamplurimi afferant, reum ordinis exceptione se tueri non posse, si in genere saltem fidejussoriis beneficiis renunciaverit. Verùm contrariam sententiam tutiorem, atq; humaniorem esse, certò sum persuasus, partim; qui renunciatio



atio est stricti juris, ut, nisi de ea expresse disponatur, non  
veniat subintelligenda; partim etiam, ne quis contra juris re-  
gulam suum donare & jaētare præsumatur. Confirmatur hæc  
sententia non obscurè ex l.4. §.4. ff. si quis c. aut. judic. s.ist. Sc. Li-  
mitatur tamen; Nisi renuncians utatur verbis gene-  
ralibus, qvæ in effectu sunt specialia, veluti, se soluturum  
ante principalem, qvæ verba sanè nihil aliud volunt, qvām  
qvod non velit uti excussionis beneficio. Altera limitatio est,  
si qva beneficia specialiter expresserit, & deinde subjuncta  
clausula generalis. Atque hanc sententiam disertis verbis  
approbat Sereniss. Elector Saxon. P.2. c.17., ibi: Daß in solchen Fäl-  
len eine ausdrückl. Verzicht/und specificirte renunciation erfor-  
dert werde: Eadem tamen, cujus modò mentionem feci, adje-  
cta moderatione, si qvando vel uni, vel pluribus beneficiis in  
specie renunciatum, atque illi renunciationi speciali subjun-  
cta fuerit generalis, veluti: Ich verzeihe mich der Exception  
Excussionis und anderen in Rechten mir als einem Bürgen zu  
gut verordneten Wohlthaten / ut tunc plura etiam alia benefi-  
cia specialia in eandem includere renuncians, adeoqve omni-  
bus simul beneficiis se abdicare intelligatur. Vid. Zœf. ad tit. de  
fidejuss. n.20. Cpz. ad d. Consti. Elect. D.1. seqq.

### §. XXX.

Sed qvæ hactenus de renunciatione dixi fidejussorum,  
non aliter procedunt, nisi illam præcesserit certioratio, hæc e-  
nim omissa vitiatur renunciatio. Coler. de Proc. Exec. P.1. c.10. n.  
440. Gail. lib 2. Obs. 27. n. 24. Et qvanqvam jura sua qvilibet scire  
præsumatur, nec eadem ignorare debeat, l. ult. C. de jur. & fact.  
ignorant. Id tamen dubio procul haud admittendum de bene-  
ficiis juris difficilioris & reconditi, qvalia sunt fidejussoria, qvia,  
testante Carpz. c.1.d.4. n.4. unumqvis facile latere possunt.  
Cöterum, cum renunciatio privationis speciem sapiat, à nem-  
ine videtur fieri posse, nisi jure illo gaudeat, cui renunciare ve-  
lit. Huic conseqvens est, non nocere ordinis beneficij renun-  
ciationem fidejussori indemnitas. Certè, sicuti ipsa renuncia-  
tio negatur, ob juris hujus defectum, ita non potest non etiam  
negari

negari ejusdem simile effectus, nisi non entis admittere velis  
prædicata & operationes. Unde non obstante, quod ex-  
pressis verbi huic Ordinis beneficio renunciaverit indem-  
nitatis fidejussor, nihilominus tamen efficaciter conveniri ne-  
quit excusso principali L. 116. ff. de V.O. Idque, ut supra dixi,  
natura magis obligationis, quam beneficio fidejussoris re-  
ceptum est. Facit hanc in rem L. 21. ff. de solut. & L. 67. ff.  
pro soc. Ex quibus aperte constat, hunc fidejussorem non con-  
veniri ante principalem, quia conditionalis est debitor, si  
principalis non solverit. Cz. C.l. def. 7.

### §. XXXI.

Non solum expressè, sed etiam tacite fieri potest bene-  
ficii Ordinis renunciatio. Huc referri possunt fidejubendo  
pro Fisco, Senatu, aliave communitate intervenientes. Fiscus  
enim vel alia Universitas semper solvendo est L. 2 in fin. ff.  
de fund. dot.. Ne ergo, si Fiscus excuti deberet inanis & elu-  
soria esset hæc fidejussio, ideo tacite huic Ordinis beneficio  
renunciasse videntur. Idem obtinet, si pro filio suo fidejussit  
Pater: Nam ipse excussionis beneficio non gaudet. L. 3 §.  
3. ff. de minor. L. 8. C. quod cum eo, qui in alien. potest. Neque hu-  
jus asserti ratio deficit, si enim non teneretur Pater, tunc  
contrahentes cum filiis nihil habentibus, interveniente Patris  
fidejussione, deciperentur. Si verò se non obligavit Pater pro  
filio tunc non tenetur ex ejus contractu, nisi de peculio.

### §. XXXII.

Ex parte fidejussoris porro cessat beneficium ordinis,  
si ille debitori principali succedat: Cum enim successione  
fidejussoris confusio inducatur obligationum, & fidejussor  
eo casu ex causa fidejussionis liberetur, idcirco non amplius  
ut fidejussor, sed ut hæres debitoris principalis convenitur L.  
24. C. de fidejuss. ibique Brunnem. L. 21. §. ult. ff. eod. L. 95. §. illt. ff.  
de solut. Solvitur itaque fidejussionis obligatio, sed salva manet  
principalis L. 3. ff. de separat. i. 39. ff. de solut. Accedit, quod fidejus-  
sor adeundo hæreditatem rei principalis de novo cum credi-  
toribus ipsius contrahere censeatur. Sed illud hic à Dd. qvæsi-  
tum invenio, utrum, si fidejussor sui principalis hæres exi-  
stens, ante hæreditatis aditionem inventarium conficiat, ul-

D

tra



tra vires hæreditariæ teneatur? videtur quod non; quia in L.  
vli. §. 2. C. de jur. deliber. generaliter constituit Imperator, hæ-  
redem confessō inventario, ultra vires hæreditariæ credito-  
ribus defuncti non teneri. Sed hoc non obstante, dicendum  
omnino existimō, fidejussorem, licet confessō inventario,  
sui principalis hæreditatem adierit, nihilominus in solidum  
teneri. Ne, quod in favorem creditorum introductum, in  
eorundem odium retorqeatur invitā L. 25. ff. de LL. Non  
officit quod antea obligationem fidejussoriā hīc confusione  
sublatam dixi, nec fidejussorem, aditā hæreditate, amplius  
ut talem, sed ut debitorem principalem conveniri. Re-  
spondeo, illud assertum, ac regulam: Principalis obliga-  
tio accessoriā permit, non procedere, si creditor per  
eiusmodi confusionem damno afficiatur. Neque enim ratio  
juris, quæ causam fidejussionis propter principalem obligati-  
onem exclusit, damno debet afficere credores, qui sibi dili-  
genter prospexerunt. L. 3. ff. de separat. vid. Eckoli ad tit. de solut.  
§. 14. Cpz. P. 2. C. 18. D. 13.

### C. XXXIII.

Atque sic pro instituti ratione ostendi casūs, quibus Be-  
neficiū ordinis cesseret ex causa debitoris principalis & mi-  
nus principalis. Jam paucis adhuc, coronidis loco, perlu-  
strabo, quomodo ob utilitatem publicam & ex observantia  
fori, moribusqye in certis regionibus receptis, vires amittat  
ordinis beneficium. Huc referunt communiter, si fidejussor  
mercator in foro mercatorum conventus beneficium hoc &  
exceptionem opponat creditori, qui itidē mercator est: Eamq;  
sententiam probant non solum ex Nov. 4. c. vli. §. vli. Sed et-  
iam ex ratione, quod in foro mercatorum summarie, de plano,  
& de æqvitate, non inspectis juris apicibus, procedatur. Jam  
dicunt, ordinis exceptionem locum non habere, si causa ex-  
bono & æquo sit determinanda; cum inventa sit ad rigorem  
juris conservandū. Verūm hanc non subsistere posse rationē,  
ex supra dictis ad §. 6. facile constat, ibi enim satis, ni fallor,  
demonstravi, ordinis beneficium non merā subtilitate, sed  
summā æqvitate niti & introductum esse. Unde Carpzovio. P.

2.6.188

z. e. 18. d. 7. magis arridet ratio Bachovii ad Treutl. v. 2. Disp. 28. 1<sup>h</sup>.  
§. L. C. & D. afferentis, in foro mercatorum ideo locum non inventire ordinis beneficium, quod presumatur tacita renunciatio facta, cum maximè intersit mercatorum, pecuniam habere in promptu, ne fides eorum pericitetur. Sanè si mercatoribus exceptio ordinis obstaret, tunc difficilis fieret hujusmodi creditū persecutio, quam tamen facilem esse ac expeditam, non solum mercatorum, sed & ipsius Reipublicæ interest plurimum. Hoc ipso enim liberior futurus est commerciorum usus, id quod vel maximè commodum publicum promovet arg. l. i. ff. de contrah. emt.

S. XXXIV.

Tandem usu fori vires suas amittit ordinis auxilium, quando juratò promisit fidejussor, se omnia & singula in chirographo, vel tabulis cautionum contenta servaturum, nec quicquam contra facturum. Quamvis enim hoc in casu de jure communi secundū veriorem Dd. sententiā non cesseret excussionis beneficium, ceu superius demonstratum dedi, secus tamen esse, usum fori si spectemus, docet Cpz. P. 2. c. 17. d. 5. Ob rationem, quod juramentum absque salutis æternæ dispendio servari possit, adeoq; ab eodem minimè recedendum c. 9. x. de Jur. jur. Gail. l. 2. O. 27. n. 22. Plura huc spectantia qui desiderat, adire potest Berliebium P. 2. Concl. 24. ubi magnum agmen casuum, quibus beneficium excussionis cesseret, accumulavit: Mihi satis est, plerosq; saltem, & quidem pro institutione, & ingenii mei modulo, recensuisse. Cæterum plura forte in his incompta reperire licet, sed excusabit illa quem maturare cogor, inopinatus meus discessus. Deo interim.

T.O.M. sit

LAUS, HONOR ET GLORIA:

Dies ist ein Musen Sohn/der Edle Bücher liebet/  
In seiner Jugend schon darinn sich auch geübet/  
Herr Vogler hats gethan/ uns zeigt dies seine Prob  
Gewünschte Glück darzu/Sie bring Ihm Ruhm und Lob.

C. Sander/Churfürstl. Steuer.

Wer nach der Tugend strebt / der kan den Neid vernichten/  
Den schweifgelben Neid / der sich nur selbst verzehrt/  
Die Palmen-Zweige traun ! sich Wolken an stets richten/  
Sie werden zwar gedrückt, doch aber nicht versehrt.

Wer

Wer rühmt, Herr Vogler, nicht die wohlgerathnen Thaten  
Dort auf den Elb-Athen? die Proben loben Ihn/  
Es sehn seinen Fleiß die grossen Mæcenaten,  
Die Neider seyn zum Spot: wir sehn Ihn liebt blühn.

Mit diesen schlechten Zeilen wolte seinen alten Schuhl- und  
Academischen Herzens-Freunde nach obliegender  
Schuldigkeit aus Dankig gratuliren

J. M. H. N. P. & J. U. C.

**H**AUD labor exiguus Legum penetrasse recessus,  
Prodere & ingenii nobilioris opes.  
Hoc, VOGLERE, facis. Sic Te Themis alma juvabit,  
Ac par & studiis majus in orbe decus.

Ita Nobiliss. Dn. Autori gratulari voluerunt  
Dn. Präsidis Commensales.

**H**AETenus Altreæ, Themidiqe ex asse litasti:  
Nunc plausum, quem dat Juridicina, cape.  
VOGLERE, O animi pars, & spes maxima nostri,  
Viye decns Patriæ, Deliciumque Tuis,

P. Hoffmann/ Med. C.

**I**Nsignis Sudor, summa ac industria Summam  
En! laudem patiunt, VOGLERUS comprobat ipse,  
Sic pugnas seqvitur victoria, & inde Triumphus:  
Pugnasti Victor, Tibi gloria, præmia lunto.

Johann Samuel Strauch/ LL. C.

**F**LAMMA velut iutilans ignis per inania cœli,  
Nescia compesci surgere ad alta solet.  
Alta petunt quoqve quæcunque labore parantur,  
In lucem veniunt, qvæ latuere diu.  
Testis adest Themidos Tua disquisitio VOGLER,  
Qvâ fidem possit quis'dare, ritè doces.

Heinricus Gottlieb Kotte.

**V**ER auf den Höchsten schaut in Rechts-belobten Sachen/  
Der hat erwehlet sich das allerbeste Ziel.  
So macht Herr Vogler auch. Gott weiß es wohl zu machen/  
Er TRAU nur ferner GOTTE/wer acht die Neider viel.

Christian Mittag/Phil. & S.S. Theol. Stud.

#### ERRATA.

In § 5 lin. 11 pro partis leg. pacti. In lin. 12. ante l. 116. hæc addantur: Exemplum  
hujus exhibet Papinianus in. In lin. 12, ejusd §. pro l. 7. ponatur l. 47. In §. 11 pro  
sententiam leg. intentionem.







Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-534695-p0032-3

DFG

**ULB Halle**  
002 120 747




3


TA-DO

bony





**FarbKarte #13**



**B.I.G.**

*J. J.  
De*  
**BENEFICIO OR-  
DINIS FIDEJUS-  
SORUM,**

*Consensu*

*Magnifici JCtorum Ordinis,*

*In  
Illustri ad Albim Academia,*

*PRÆSIDE*

**DN. JO. CASPARO Brendel/  
Philof. & J. U. D.**

*In Auditorio JCtorum,*

*Die 5. Nov. 1690.*

*Publicè disputabit*

*A. G. R.*

**ABRAHAM Gottlob Bogler/  
Dresd.**



*WITTEBERGÆ,  
Typis MARTINI SCHULTZII.*